

**Memoriæ posthumæ,
honestissimæ &
laudatissimæ matronæ, Annæ
Mureniaë Boëtii ...**

Boman, Andreas

1 Ic 1675 Murenia, Anna



National Library
of Sweden

MEMORIÆ POSTHUMÆ,

Honestissima & Laudatissima

MATRONE,

15

ANNÆ MURENIÆ

BOËTII FILIÆ;

VIRI

Speçtatissimi Prudentissimique.

Dni. PETRI SCYGGI


| In Thor: Sund Inspectoris solertissimi,

CONJUGIS DESIDERATISSIMÆ;

In Mundum natæ Anno 1635, 28 Decembr. Denatæ verò,

Anno 1674, 2 Martii, ac sepulcro deniqve illatæ

Anno 1675, 21 Novemb.



DICAVIT

ANDREAS Boman Junecopensis,

Se: Re: Mtu: Alumnus.

A B O Æ,

Excudebat JOHANNES Winter.

Anno 1675.

Monsieur Laurent. Wilsch

1675

15



ANNAE MURENAE Tumulus.



*H*oc posita in tumulo STIGII charissima conjux
ANNA, ac extincto corpore fessa, cubo:
Mens sed in aetherias, ubi Patria pristina, sedes
Jam redijt, vultu perfruiturque DEI.
Hora etiam hinc veniet celeri latissima cursu,
Huic anima junget cum sua membra DEUS

Hoc scio nil planè dubitans, hoc gloriòr uno,
Semper & est animo spes ea fixa meo,
Quòd meus in superà charissimus arce redemptor
Vivat adhuc, vitæ fons & origo mea.
Et licet in cineres corpus mors putre resolvat,
Vertat & in nihilum, quòd nihil antè fuit;
Attamen, huic suprema dies cum fulserit orbi,
Et levis hoc mundi flamma resolvat opus;
Christus, id informi revocans è pulvere terra,
Hæc iterum cinget carnibus ossa suis:
Hæc & pelle meos rursùm circumdabit artus,
Quin & in hæc ipsa carne videbo DEUM!
Hunc Ego, non alij pro me, sine fine videbo,
Latior allatis tot mihi morte bonis.
Ipsa quidam cum juncta tibi tellure morâter;
Chære vir & cordis portio fida mei!
Gloria summa mihi præclaraque fama fuisti,
Et fuit huic tanto nubere dulcè viro.
Viximus unanimes semper, dum viximus unâ;
Vita, fides, pietas, una duobus erat.

Fluxa

*Fluxa sed humana sunt vanaque gaudia vite,
Unica sunt supera gaudia firma domus.*

His meliora bonis, majoraque gaudia caelum.

Exhibet, aetheria nunc quibus arce fruor.

Carmina nunc plaususque sacros, & cantica Divum,

Sentio mirificis me recreare modis.

Chare Marite, vale! decumanos vince dolores!

Huc quoque, post fato te rapiente, veni!

Spectatissime VIR!



Ita hæc mortalium, ejus diuturnitatem tan-
to perè suspicimus, tanti æstimamus, quid
est, quàm laboris & periculi plena peregrina-
tio, miseriarum & calamitatum palæstra?
quid nisi scena; ubi mundus Theatrum, Actores homi-
nes, Mors siparium? quæ in ipso dramate, illos citiùs,
hos tardiùs, spectantium subducit oculis. Quantis e-
nim obnoxia infortuniis, quantisque subjecta sit calami-
tatibus, experientia rerum Magistra testimoniis roborat
luculentissimis. Ita utiqve visum est summo illi rerum
arbitro, exercere suos, nè torpeant, utqve ex crebris
mortalitatis exemplis mori deniqve discant. Heu, quàm
sumus fragilis materia, & levi casu rumpenda! Quam-
quam, quid subit mirari? Scimus quippe pallentem il-
lam Divam capiti uniuscujusque nostrum imminere, &
ictu, quos ferit, percellere inexpectato. Æterna hæc
lex est, nasci, denasci, oriri, aboriri; in Deum verò in-
surgere, impium & profanum. Nullum hinc fata discrimen
agnoscunt, nullum ordinem; in senes & juvenes,
decrepitos & vegetos, suum jus exercent.

Poma ut in arboribus pendent: sic corpora nostra,

Aut matura cadunt, aut citò acerba ruunt.

Hujus rei exempla, si præterita secula inspexeris, si præsentia, si futura, erunt locupletissima. Exemplo declaravit suo honestissima & omni virtute ornatissima MATRONA, ANNA MURENIA, conjux tua quondam suavissima: quam nunc amissam doles. Et quidni? homines sumus, non scopuli; rebus quin etiam minimis, nedum ejusmodi maximis, movemur. Dulcissima tibi illa fuit vitæ socia, optima conjux, fœcunda Mater, ad rem familiarem attentam, sedula liberorum educatrix. Fateor, cum insigni familiæ jacturâ, & tuo ac liberorum, ut gravi mœrore, ita non levi incommodo ereptam. At non supremi illius Patris & Rectoris contracta manus. Communis ea lex est, ut, quod cœpit, aliquando desinat; ad quam componi, non sapientia & ratio sâdet, sed necessitas cogit. Quorsum, sodes, lamenta, & singultus! quorsum querelæ? Non proficient, quia non mutabis. Non obiit, sed abiit, ex tristibus & turbidis, ad latiora & puriora. Felicem itaque illam pronunciamus, quæ hujus mundi blanditias compendio evaserit. Jam semota sejunctaque longè à rebus nostris, neque miseris exeditur, neque angitur incommodis, quibus cum quotidiè, dum in terris sumus, luctamur. Magna pars hominum misera est, non aliâ de causâ, quam quia querulus ipsis est animus: nihil autem tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium inveniat. Obsecro proinde, in hoc luctu oculos mentis ad Deum flectas, unicum afflictæ mentis perfugium! In eam vitam commigravit, ad eam felicitatem, quam nullus animo complecti unquam potuit. Deum veneror, ut te dolore levatum magis magisque firmet, tuis in solatium ac gaudium! Vale.

ODA

ODA TROCHAIC.

1.

M Et Wärldzligt Präl wördas
mächta/
Skarpsinnigt Förstånd och
Macht/

Medh all Högheet Ståht och Pracht;
Thet hwar man söker försächta.

2.

Detta oachtat/ ofß alla
Anträffar Döden/ alt fort
Klappar på wår Dörr och Port;
Wij städz för hans Pylar falla.

3.

Synden gjorde thet allena/
Wij måste hän alle döo;
Slippa elliest thenna Dö
Döden mond ofß alt förmeßna.

A 3

4. Slächt

4.
Gläckt/ Förwanter/ Wänner wära/
Och en Spegel ära wist/
Om Dödzens argsnöda List/
Som påbördar Plågor swära.

5.
Deß Wäld och Grymheet obliida
Haar denne MATRONA kändt/
Som af Döden fast behändt
Borttryckt är från sin Mans Sijda.

6.
Låter eij Sorg längre wära/
Säkert boor hon nu hoos then/
Som är rätta Tröstaren;
Alla önskom och tijt fara!

7.
Sökiom omsider dijt hinna
Ther blomstrandende Dwislar grön/
Lof-bladh och mogen Frucht skön
Låta sigh och altijdh finna.

8. Ach

8.

Ach hwadh Sorg/ Jämmer och Möda/
Tu förer på oss/ och Nödh!
Medh stoor Grymheet/ hädste Dödh/
Tu åstundar oss vthöda.

9.

Satan oss ej kan förskräckia/
Ty Christus medh sinom Dödh
Förtagit haar ewigh Nödh;
Belat och hans Huswudh bräckia.

10.

O. widen ej ty sidst medh Frögden
Opstår des Lefamen fall/
På Bahren för eder all
Som ligger/ städz sehn i Högden.

11.

Ther hon i Händer medh Palmer
Står bland the vthwaldas skaar/
Werldzens Nödh förgätit haar/
Gudi loffsunger medh Psalmer.

Eida



Idâ mentē Deum, fido quæ corde maritum,
Dilexit, clari filia clara Patris,
Hic cubat, ac PETRI STIGII charissima Conjug:

Deflendum nobis hoc mage funus erit.

Dulcior haud illâ quisquam, non svavior illo;

Non pietate prior, non bonitate fuit:

At nunc ille gemens, ANNA cum conjugē condit

Gaudia, lætitiā, deliciasque pias.

Et nisi spem faceret mundi servator Jesus,

Non posset rupto vivere conjugio.

At luctum minuens Deus, hinc spe divite pascit,

Et spondet superæ gaudia certa domus.

Hæc olim castos iterum renovabit amores,

Et dabit æternâ posse quiete frui.

Quisquis es, ô! nimium rebus ne crede caducis!

Securas pulsât mors inopina fores.

